

















CXXI. D. Valentini Ruphtj.  
CXXII. Casparis Reindarti.  
CXXIII. Jos: Erndt Reichelmj.  
CXXIV. Casparis Reindarti.  
CXXV. Dn. Zaccharie Fingerlingj.

68 1926

Inverius

Heloga de laebissimo

1588



*[Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.]*





T  
Ecloga

DE LÆT I S S I M O  
ET SALVTIFERO DOMI-  
NI NOSTRI IESV CHRISTI

Θεοῦ ἡμῶν Emanuelis & Saluatoris nostri,  
Natali. Scripta

A

AMPLISSIMIS ET MAGNIFICIS VIRIS,  
GENERIS CLARITATE, VIRTUTE, SAPIEN-  
tia & autoritate præstantissimis Dn. Cofs. Senatorib. &  
Trib. Pleb. inclytæ Reip. Seruestensis, Dn. &  
Patronis plurimum colendis.

*M. Iohanne Cnorrio Hanoico.*

Cyprianns

*M. Petrus Van Jura. 1638.*

Christus DEI Filius, hominis Filius esse voluit, vt nos Filios Dei  
faceret, humiliavit se, vt nos iacentes erigeret, serui formam as-  
sumsit, vt nos liberaret, vulneratus est, vt nostra vulnera  
sanaret, mori sustinuit, vt nobis mortalibus, immor-  
talitatem exhiberet.

S E R V E S T Æ

*Excudebat Bonaventura Faber.*

Anno

M. D. LXXVIII.



Ecloga.

IN NATALEM IESV CHRIS-  
TI DEI, AC MARIAE VIRGINIS  
Filij.

Thyrsis, Corydon, Angeli.

THYRSIS.

**E**n durata rigent densam in glaciemq<sup>3</sup>, niuemq<sup>3</sup>  
Littora per vacuas non adeunda rates.

Frigidus ecce nives Boreas iacit impete canas  
Ingenti resonans turbine grando volat.

Et premit occiduus spumantia littora Titan,  
Ecce cadente die nox tenebrosa subit.

Idcirco Corydon pecudes cogemus in unum  
Fallemus somno tadia longa breui.

**H**ic Corylis mixtas inter residebimus ulmos  
Igne calescentes, igne levatur hyems.

**C**armen ego dicam, tenui tu flabis avena  
Donec ab Eoo prodeat orbe dies.

Et recinat donec venturam buccina lucem  
In pelagusq<sup>3</sup> Poli sidera lapsa cadant.

CHORYDON.

**E**t placet, & gratum est, tibi me parere necesse  
Pars animi fateor maxima Thyrsi mei

Sim licet ignarus rerum, sim rusticus acer  
Nil didici pecudum ni numerare greges.

Forte

EN. PR. FR.  
UNIVERS.  
VHALIE





Forte tamen potero vestris coniungere vota  
Si mea, responsis non erit ulla mora,  
Iungite vos igitur vicini Thyrsidis agnis  
Lacteola capra maxima cura mea.  
Sed cur tam subito clarescit lumine cœlum  
Miror? cur lucet Phœbus in arce poli?  
Quare luna rubens abscondit cornua? tecta  
Cur splendent tenebris quæ latuere modo?  
Nox magis illa die mihi clarior esse videtur  
Fulgure tecta nouo lumine præta nitent.  
Quid prope nos? an fons tam dulces fundit odores  
Corruptæ pecudes quem petiere siti?  
Quid resina, ac humos refluens de cortice? Bruma  
Tempore cum iaceant obruta quæq; solo?  
Aureani fallor redeunt iam tempora Thyrsi  
Qualia Saturno rege fuisse ferunt?  
Cum dura quercus sudassent dulcia mella,  
Atq; sua fructus sponte tulisset ager.  
Nec veluti perhibent tauri iuga soluit arator,  
Robustos rastros nec pateretur humus.  
Aspice nunc pinus sudant fragrantia mella  
Iamq; fluunt valido flumina nostra mero.

THYRSIS.

Iam bene si memini subeunt à vatibus olim  
Tempora Messie significata Dei.



Qui patris è gremio terras delapsus in imas  
Gaudia dat vitæ non moritura pijs.  
Gaudia qui nobis tribuet mansura salutis  
Scilicet humanas quæ superabit opes.  
Quiq; suo iuncto nostra cum sanguine carne,  
Et vitæ propria morte recludet iter.  
Qui pariter miseros non dedignatur Agrestes,  
Sed nostros faciet pondus habere preces.  
Omnia quæ quondã memini cecinisse Philothum,  
Montibus in nostris cum tueretur oves.  
Omnia quæ pecudum custos cantabat Iolas  
Euenisse modo tempora nostra docent,  
Nitas præ reliquis pius, & cantare peritus  
Iam moriens natis dixerat ista suis.  
(Hæc nescis Corydon?) quo tempore Martia Ro-  
gentibus à Juda regia Sceptra tulit. (ma  
Denotat hæc Corydon tempus mutatio, Christus  
Quo genus humanum de Phlegethonte trahet.  
Dixit & hoc quondam senio confectus Iarbus  
Sæpe mihi studuit quæ renouare pater.  
Cum fuerint decies septem celebrata per orbem  
Sabbatha, nascetur Rex nouus omnipotens,  
Qui nos pastores curarum mole grauatos  
Eripiet, nec nos morte perire sinet.  
Hunc regem nobis præsentia tempora natum  
Esse notant, nostri spesq; salusq; gregis.

Nam



Nam Iudæ extremis sævit dominator in oris  
Herodes pecudum pernitiōsa lues.  
Qui fuit in ciues, vastat modo cespite tecta  
Culmina Pastorum, destruit ense lares.  
Ergo nouus veniet placidus, natalia cuius  
Agresti Musa concelebrare libet.

C O R Y D O N.

Mansuetum narras, non tristia bella mouentem  
Ergo dabit populo prata aliena suo?

T H Y R S I S.

O Corydon, Corydon qua te dementia cepit  
Dum ventris spectes commoda sola tui.  
Non dabit ignavis alieno parta labore,  
Nec sibi decernet regna superba ducum.  
Non cupiet fieri Romana per oppida Rector  
Qualiter ò demens hunc fore forte putas.  
Sed λόγος ille Dei cœli delabitur arce  
Ut referat populo gaudia magna suo.  
In vitam ut seua submersus morte reducat  
Collocet è stygijs in sua regna fretis.

C O R Y D O N.

Multū Thyrsi sapis mihi magnus Apollo videris  
Dic rogo quo natus sit genitore puer?

T H Y R S I S.

Hoc opus, hic labor est regis numerare parentes  
Agmina cœlorum quem reuerenter amant.

T u t a -



Tu tamen ut reliquis possis memorare canendo  
Qua didici, breuibus significabo tibi.  
Huic pater est summus celsi moderator Olympi  
Ipse Deus formans sidera clara poli  
Non illum in mundum magni genuere Tyranni,  
Nascitur ex pura virgine, patre caret.  
Nascitur in Bethalem grassanti frigore Bruma  
In stabulo angelici duxq; caputq; chori.  
Me miserum celeri collucent sidera flamma  
Scinditur in partes heu domus alta Dei.  
Proh dolor, heu quanti montes voluuntur aquarū  
Hos iam tacturos sidera celsa putes.  
Aspice deducto conscendunt equore valles  
Has iam tacturas tartara nigra putes.  
Me miserum spirant immensi murmure venti  
Ardescit rutilus ignibus unda maris.  
Occidimur, nostra non spes est ulla salutis  
Accedunt proprius lumina tanta greges.

ANGELVS.

Pastores animo vestro demittite curas  
Et quem capistis ponite corde metum  
Ponite non summa descendimus arce parentis  
Lanigero ut demus damna nocua gregi.  
Sed potius ferimus latissima gaudia vobis  
Qua mare, qua tellus, qua leuis aer habet.

Filius



Filius aeterni λόγος unica patris imago  
Ex illibata virgine natus homo,  
Qui nisi venisset caelestis ab arce parentis  
Obrutus aeterna morte iaceret homo.  
Excitus hac certo credatis verba sequetur  
Ne precor in dubium pectora vestra cadant,  
Stat vetus urbs Bethelēem cuius fundamina iecit  
David IESSAEI nomina regis habens,  
Hic λόγος ille Dei qui spes est unica nostra  
Nascitur obscuro (res memoranda) loco.  
In medioq; bouis recubans, & inertis Aselli  
Panniculis paruis languida membra fouet.  
Vos igitur vestra tangat si cura salutis  
Illic ire iuuat non memorante pede.  
In tenui laudes modulantes huius auena  
Dicentesq; pio pectore grata Deo,  
Tum neq; vos pudeat fortuna leta fauentes  
Vestra, supremo soluere vota Deo.

CHORVS ANGELORVM.

Gloria summa Deo longum mansura per aeuum  
Reddatis nato gloria summa Deo.  
Fallere qui nescit, qui seruantissimus aequi  
Qui tulit amissa sponte salutis opem.  
Uniat humanas stabili pax foedere mentes  
Ac animos hominum mutuus vrat amor.

Thyrsis



THYRSIS.

Quid tibi nunc animi Corydon, qua nuncia clara  
Spe recipis rutili lata per astra Poli?

CORYDON.

Ut prius attonitos error mihi frigidus artus  
Ceu mea sollicitus concutit ossa tremor  
Pauit ut obsessum glaciali frigore corpus  
Sic mens, sic redijt verus in ora calor.

THYRSIS.

Carminē nunc opus est Corydon, nunc nostra iube-  
Agrestis natum musa referre Dei. (tur  
Qui retulit miseris cœlestis gaudia vita  
Gaudia qua nullo sunt moritura die.

CORYDON.

Quis precor ò huius laudes, & facta taceret  
Immemor, & nollet concelebrare Deum.  
Hoc sine nil altum mens inchoat, huc age Thyrsi  
Rumpe moras, puero reddere vota libet

THYRSIS.

Sed Bethelēmiacā Corydon properemus ad urbē  
Cernere ab Angelico commemorata choro.  
Vos reliqui pecudes pastores pascite, Christum  
Post reditum regem cernere deinde libet.

F I N I S.



Cl 1926

ULB Halle 3  
001 556 118  



Stk. 6 = Handschrift

Sb.


Paul Friedrich  
Buchbindermeister  
Merseburg a. S.

VDA 7









B.I.G.

Farbkarte #13

*T*  
Ecloga  
**DE LÆT I S S I M O  
ET SALVTIFERO DOMI-  
NI NOSTRI IESV CHRISTI**

*Θεοθώπης* Emanuelis & Saluatoris nostri,  
Natali. Scripta

A  
AMPLISSIMIS ET MAGNIFICIS VIRIS,  
GENERIS CLARITATE, VIRTUTE, SAPIEN-  
tia & autoritate præstantissimis Dn. Cofs. Senatorib. &  
Trijb. Pleb. inclytæ Reip. Serüestensis, Dn. &  
Patronis plurimum colendis.

*M. Iohanne Cnorrio Hanoico.*

Cyprianns *M. Petrus von Jena 1638.*

Christus DEI Filius, hominis Filius esse voluit, vt nos Filios Dei  
faceret, humiliavit se, vt nos iacentes erigeret, serui formam as-  
sumsit, vt nos liberaret, vulneratus est, vt nostra vulnera  
sanaret, mori sustinuit, vt nobis mortalibus, immor-  
talitatem exhiberet.

S E R V E S T Æ

*Excudebat Bonaventura Faber.*

Anno

M. D. LXXXVIII.

